



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

**Rodríguez, Alonso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1622**

VI. Cauendum nobis est & aliud quoddam extremum: nimirum, per speciem nobis ipsis attendendi, omnem proximi curam abiicere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40105**

passionibus, de officiis & negotiis tempo-  
relibus attendendum, idque tam in saeculari-  
bus quam Religiosis; quia ad omnes om-  
nino homines haec doctrina pertinet, & ea  
sibi quisque pro statu suo applicare potest.

Numquam enim quis ita in occupatio-  
nes externas, esto etiam ex bonae sint, &  
ad officium suum referantur, effundi, aut  
immergi debet, ut propterea salutis suae  
obliuiscatur; & Religiosus orationem, exa-  
men conscientiae, & quidquid nemum a-  
liquomodo ad profectum suum & passio-  
num mortificationem spectat, earum cau-  
sa omitat. Nefas enim est omittere quod  
maius est, ob id quod minus: semper quip-  
pe praepone & praeferre debemus id, quod  
nostri ipsorum priuatum commodum ve-  
llicatemque concernit; atque ea demum cum  
Dei, tum Superiorum nostrorum voluntas est.

Nec studiosus & scholasticus spiritualia  
exercitia, propter studia & lectionem,  
debet aut penitus omittere, aut parum  
ducere: parum quippe illi proderit, euadere  
in vium doctum, si boni Religiosi mores  
non addiscat. Atque eo magis, quod seria  
ordinariorum exercitiorum spiritualium  
obseruantia non tam impeditura sit, quam  
mirifice collatura, ut naturalis ingenii  
lumen Deus adaugeat & illustret, ad ma-  
iores in studiis progressus faciendos.

Albertus Magnus apud discipulos suos  
frequenter dicebat (quod & in initio Sum-  
mae casuum, quam edidit, scriptis reliquit)  
plus in diuinis scientiis feruenti oratione  
& deuotione, quam contentiore studio  
profici; atque ad hoc propositum adferre so-  
lebat verba illa Salomonis, *Optaui & da-  
tus est mihi sensus, & inuocavi, & venit in  
me spiritus sapientiae*. Hinc etiam Sanctus  
Thomas de Aquino, qui illius sub disci-  
plina studuit, tantopere in omni scientia  
eminuit, & tantam ingenii est subtilita-  
tem adeptus: qui quidquid sciret, magis se  
oratione id, quam humana industria &  
studio profictebatur affectum.

S. Bonauentura cum Parisiis Theolo-  
giam magna omnium satisfactione & plau-  
su, insigni quoque doctrinae opinione ac  
nominis fama proficere; atque eo ipso

tempore libros etiam aliquot eruditos e-  
deret, quos omnes obtupefcerent, die  
quadam cum S. Thomas Aquinas, qui  
eodem tempore vivebat, ei que familiaris  
erat, adire, petique sibi libros quos vol-  
uebat, ostendi. Duxit illum in cubiculum  
suum Bonauentura, ostenditque ei paucos  
aliquot libros communes in mensa posi-  
tos, quos se legere dicebat. At cum Tho-  
mas illos sibi potissime libros, e quibus res  
adeo profundas & mirabiles hauriret, pe-  
tisset exhiberi; Bonauentura, ostendens  
illi oratorium, in quo crucifixi Iesu effi-  
giem, quae aspicientibus pietatem moue-  
ret, habebat, Hi, inquit, sunt omnes libri  
mei, Pater, & tibi persuadeas velim, hunc  
primarium meum librum esse, e quo,  
quidquid aut doceo, aut scribo, quam co-  
piosissime haurio: & ad huius magistri pe-  
des multo me magis proficisci, maioremque  
verae scientiae lucem esse assecutum (ad hos  
in meis dubiis habendae lucis causa con-  
fugiendo) nec non Missas audiendo & ex-  
seruendo, quam ex omnibus libris & ex-  
ercitiis litterariis. Quibus auditis Thomas,  
erga sanctum hunc virum magis affici, &  
in maiori eum honore habere coepit.

S. Bona-  
uentura ex  
immagine  
crucifixi  
plus hausit  
quam e li-  
bris.

CAPVT VI.

*Cauendum nobis est & aliud  
quoddam Extremum: nimi-  
rum, per speciem nobis ipsis at-  
tendendi, omnem proximi cu-  
ram abijcere.*

Docet fortasse quis, si tantum sit in pro-  
ximo curando periculum situm, hu-  
iusmodi me periculis vltro exponere no-  
lo, sed ab iis quam possum longissime me  
subducere, deque mei vnus profectu ac  
salute sollicitus esse cupio: magis quippe  
mei teneor curam gerere, quam aliorum;  
neue aequum est me, quo alios lucrer,  
salutis propriae periculum adire. Hoc

Proximi  
cura non  
negligenda.



alterum est extremum, ad quod quis à regia instituti nostri via potest deflectere. Cui obiectioni, vti & priori, etiam in Euangeliiis clarè respondetur, in parabola scilicet de talentorum distributione.

Matth. 25. 14.

Luc. 19. 15. Parabola Euangelica de talentis.

Pater quidam familias omnem inter seruos suos substkriam dispersit, vni quidem quinque talenta, alij duo, tertio denique vnum tantum dedit. Primi accepta talenta bene impendentes, totidem alia superlucrati sunt, atque idcirco ab hero laudè & præmium retulerunt. Atqui vnum duntaxat acceperat, illud in terram defodit, ac venienti domino, & accepti rationem deposcanti, respondit, *Domine scio quia homo durus es, metis tibi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & ideo timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ne ipsum amitteretur: ecce habes quod tuum est: en talentum integrum, vt à te illud accepi.* Cui deinde Dominus: *De ore tuo te iudico serue nequam sciebas quod ego homo austerus sum. tollens quod non posui, & metens quod non seminavi. & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum & sura vtrique exegissem illam: Et adstantibus dixit. Tollite itaque ab illo talentum, & date ei qui habet decem talenta, qui ad quinque accepta alia quinque superlucratus est; quia illi maiori mercede & ampliori gloria donabuntur: & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.*

Luc. 19. 21.

Parabolam hanc ad nostrum propositum exponit S. Augustinus, eamque à Christo ad instructionem & documentum eorum prolata censet, qui, quod inertes & socordes sunt, dispensatoris patres in Ecclesia Dei agere, nec proximum iuuare volunt, Deo se dicentes alienorum peccatorum rationem reddere nolle. Pigri huius serui, inquit, exemplo sapiant: quia aliam eius condemnationis causam non legimus, quam quod cum talento accepto non sit negotiatus, nec aliquid ei superlucratus. Neque enim id ipse perdidit, vel male impendit: quin imo diligenter & cautè asservauit, sub terra defodiens, ne

Lib. de fide & operibus 6. 17.

id ipsi furto surriperetur. Hinc etiam Ambrosius ait, *Videamus, ne rationem reddamus pro otioso silentio: c. 3. est enim & negotiosum silentium, quale fuit castæ Sufannæ, quæ plura præstitit silenter ingemiscendo, quam si locuta fuisset: nam tacendo quoad homines, loquebatur cum Deo: & est silentium otiosum, & illud malum est. Proinde, sicuti Deo verborum otiosorum, ita etiam silentij huius otiosi reddenda ratio est. Tunc autem id otiosum est, quando, cum proximum verbis nostris iuuare & prodesse possumus & debemus, ipsum non facimus. A nobis vero potissimum & præ cæteris Deus huius silentij rationem deposcet: quia hoc talentum nobis concredidit, hoc alios iuuandi officium & ministerium Societati iniunxit, atque ideo non tantum propriij profectus à nobis rationem exiger, qualem exacturus est ab ijs, quibus solum se ipsos curare propositum est: verum etiam quæret, quomodo in proximis iuandis lucrandisque operam impenderimus. Qui si nos comperiat talentum receptum abscondisse, & terræ in fodiisse, & ipsum à nobis auferet, & nos, vti seruum illum nequam & pigrum, castigabit.*

id ipsi furto surriperetur.

Hinc etiam Ambrosius ait, *Videamus, ne rationem reddamus pro otioso silentio: c. 3. est enim & negotiosum silentium, quale fuit castæ Sufannæ, quæ plura præstitit silenter ingemiscendo, quam si locuta fuisset: nam tacendo quoad homines, loquebatur cum Deo: & est silentium otiosum, & illud malum est. Proinde, sicuti Deo verborum otiosorum, ita etiam silentij huius otiosi reddenda ratio est. Tunc autem id otiosum est, quando, cum proximum verbis nostris iuuare & prodesse possumus & debemus, ipsum non facimus. A nobis vero potissimum & præ cæteris Deus huius silentij rationem deposcet: quia hoc talentum nobis concredidit, hoc alios iuuandi officium & ministerium Societati iniunxit, atque ideo non tantum propriij profectus à nobis rationem exiger, qualem exacturus est ab ijs, quibus solum se ipsos curare propositum est: verum etiam quæret, quomodo in proximis iuandis lucrandisque operam impenderimus. Qui si nos comperiat talentum receptum abscondisse, & terræ in fodiisse, & ipsum à nobis auferet, & nos, vti seruum illum nequam & pigrum, castigabit.*

Quocirca vtrumque curare & cordi habere, nec vnum propter aliud omittere nos par est: sed imitari exemplum Redemptoris nostri Iesu Christi, quem in ipsa passionis nocte, ab oratione surgentem discipulos suos adiisse, ac rursus ab ijs ad orationis locum rediisse, Euangelista commemorat. Vt nimirum ab oratione surgentes, ad cum proximo agendum, eumque iuuandum egrediamur, ac rursus statim ad solitudinem, & orationem repetendam redeamus.

Præclare punctum hoc pertractat S. Bernardus, exponens illa sponsi ad sponsum verba, *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: haud dubium, inquit, quis ad animarum lucra. Sed quid hoc sibi vult? An non is ipse sponsus est, qui ante paulo in eodem capite, tam sedulo studioseque inhibebat, ne dilectam quis expergefaceret? Adiuvo vos filia*

Lib. 1. Offic. c. 3. Silentium otiosum dicitur. Negativum laudatur. Societati Iesu cura proximorum mandata. Oratio & animarum zelus vnicuique. Matth. 26. 39. Sermon 17. c. 1. Cant. 2. 14. Cant. 2. 14. Cant. 2. 14.



standos & educandos; atque ad eos sustentandos & curandos sæpe tibi amplexum, quietem, & delectationem esse seponendam.

Cuius rei symbolum & figura nobis fuit Iacob, cui, dum formosæ Rachaelis, sed sterilis, amplexibus & osculis frui sperat, pro ea Liam Ippam, sed fecundam, suppositam fuisse Scriptura narrat. Sic & hoc loco, dum sponsa ad optata ac deliciosa sponsi sui oscula & amplexus aspirat, matris ei officium, & filiorum educatio commendatur, diciturque ei, *Quia meliora sunt vbera tua vino*: fructus quippe prædicationis & conuersationis cum proximo, nec non animas Deo lucrari, melius tunc est, & magis Deo placet, quam deliciosa vini contemplationis suauitas.

Ersi Lia non æque sit formosa ac Rachael, at est fecundior, & sua fecunditate nimis quàm Rachaelis venustatem supplet & compensat. Esto vita contemplatiua actiua sit perfectior, quando tamen cum contemplatiua hæc actiua coniungitur, uti sunt docere & iuuare proximum, & animas Deo conuertere, tunc multo ea perfectior est, quam contemplatiua sola.

Hoc in sensu explicat Chrysostomus illud S. Pauli, ad Romanos scribentis, *Operam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundam carnem*. Quod videlicet Apostolus aliquantisper à suauissima Iesu Christi conuersatione & commercio sequestrari, operaque sua amorosa ad tempus seponere vellet, quo proximorum saluti comparandæ insisteret. Atque hoc quodam modo erat, propter illos anathema fieri à Christo. Hinc & Doctores omnes fatentur, illud supremum quendam summumque caritatis actum fuisse.

Adeo ut, quæ videtur iactura & dispendium, non nisi insigne sit lucrum & compendium. Vnde nobis persuadeamus necesse est, nullam nos, esto proximorum curationi & commodis attendamus, in proprio profectu aut re nostra iacturam passuros; quin potius permultum propterea lu-

*Vita mista contemplatiuam superat.*

*Lib. 1 de cõpunct. Rom. 9. 3.*

*Cõtemplatio animarum lucro postponenda.*

*Zelus animarum perfectionem promouet.*

lib. 1. 27. filia Ierusalem, per capreas ceruosq; cam-  
porum, ne suscitetur, neque euigilare faci-  
no dilectam, quoadusque ipsa velit. Quo-  
modo ergo iam illam compellat, non mo-  
do ve surgat, verum etiam properet? Mo-  
menti spatio, & simul quodammodo, ve-  
tat, ne quis sponsam excitet, & statim eam  
hortatur ut surgat & festinet. Quid sibi  
vult repentina hæc voluntatis & consilij  
sponsi mutatio? Putasne, ait Bernardus,  
leuitate aliqua sponsi id factum esse, &  
cum ante aliquid voluisse, quod postea no-  
luerit? Nequaquam, sed ad necessarias il-  
las vicissitudines & mutationes, quas fa-  
cere nos interdum oportet, alludere vo-  
luit, ut nimirum à somno & quiete oratio-  
nis & contemplationis, ad actionis neces-  
sariae laborem, proximi iuuandi causa, al-  
ternatim transcamus.  
Magnus quippe Dei amor otiosus esse  
nequit; ignis enim est, ac proinde alios  
eodem amore succendere & inflammare  
gestit: atque idcirco non modo contem-  
plationis quietem relinquit, & orationem  
intercipit surgens, verum etiam festi-  
nat: ut ingens & accensus proximos iu-  
uandi desiderium hac ratione declaret.  
Hinc ergo est, ait S. Bernardus, quod cum  
vix paululum in sponsi sinu sponsa requie-  
uisset (læua eius sub capite meo, & dexte-  
ra illius amplexabitur me) eam excitet,  
& ad alia vtiliora peragenda emittat. Vti-  
liora dico; quia melius, vtilius, & coram  
Deo dignius est, simul etiam aliis curan-  
dis attendere, quam solum nostri ipsorum  
profectum & vtilitatem curare.  
Neque vero tum primum sponsa hoc  
modo à sponso excitata est: nam & alias  
idem ipsi contigit. Volebat nimirum  
sponsa contemplationis quiete & deliciis  
semper frui, & suauissimis sponsi sui am-  
plexibus & osculis continenter innatare,  
vnde eadem etiam enixe petit, dicens, *Os-  
culetur me osculo oris sui* at respondet ei  
sponsus, *Meliora sunt vbera tua vino*;  
significans illi, quod & filios progignere  
debebat, ac proinde hos ei negligendos  
non esse, sed curandos. Recordare te esse  
matrem, & habere filios, illos tibi esse la-



craturos, & maius in virtute & perfectione incrementum ac progressum facturos. Elegantes aliquot similitudines ad hoc illustrandum & confirmandum adfert Clemens Alexandrinus: Quo plus, inquit, aquae è puteis hauritur, eo illam & meliorem dant & limpidiorem; & è contra eadem, cum non educitur, limosa, putrescens & insipida fit. Culter vsu ipso nitescit ac splendet: in vagina vero reconditus manens, & sine vsu, sordes & rubiginem contrahit. Ignis, quod multa adurat & accendat, adeo nihil de vi sua deperdit, vt potius maior fiat & increscat. Ita quoque inscientiis humanis eum qui altos docet, videmus docendo multa addiscere, atque hoc modo homines magnam sibi Doctrinam ac varias scientias comparare.

Eodem vero modo se res habet in scientia hac spirituali & diuina: eo magis, quod verbum Dei sit gladius anceps, ex vtraque parte acutus, tum alius, tum sibi secans. quod enim alios doceo & praedico, eo & ipse opus habeo: quin & docentem me conscientia statim remordet, suggerens, Cur ipse non facis, quod aliis praedicat? Vt illis qui dicunt, & non faciunt.

Et cum in confessionibus aliorum lapsus audimus, & aduertimus, ex iisdem discere debemus caute circumspecteque ambulare, & Deum ex animo rogare, vt potentem manum suam à nobis non amoueatur: simul etiam immensas ei gratias agere, quod in pares nos culpas incidere non permiserit. Dum hunc & illum ad bene moriendum disponimus, efficax id nobis occasio & stimulus est, ad horam mortis semper praesentem in memoria habendam, & ad tali modo vitam institueret. studendum, vt semper & vbiuis ad illam parati ac dispositi simus. Dum carceres & Nosocomia adimus, dum inimicos inuicem conciliamus, ad vitæ huius miserias melius cognoscendas, hac nos opera velut manu ducunt, nec non ad beneficium vocationis, quo ad statum Religiosum nos benignissimus Deus è mundo vocauit, pluris faciendum. Denique omnia nostra exercitia & functiones adeo non oc-

casio sunt ad in peius prouendum, vt potius quidam velut excitatores & adhortatores sint, nos, ad studiosius & maiori cum conatu in virtutem & perfectionem incumbendum adhortantes,

Huc accedunt eximiae ac multae illae misericordiae, quas quam copiosissime Dominus praestat iis qui ita nauiter & impigre proximo operam suam dedicant. Si opera misericordiae corporalis exercueribus, tanta in Scriptura promissa merces legitur, quae non manebit eos, qui spiritualis misericordiae opera proximo impendent? vt pote quae tanto prioribus maiora & digniora sunt, quanto corpori anima antestat & potior est.

Quare merito de his capi & intelligi posse ait Chrysoctomus, id quod in Euangelio legitur: *Date, & dabitur vobis.* Nec non illud quod apud Sapientem, *Anima quae benedicit; id est proximo benefacit; impinguabitur; & qui spiritualiter altos inebriat amore ac desiderio rerum caelestium, ipse quoque à Deo diuinarum consolationum vino inebriabitur.*

Nonnulli hos assimilant elemosynariis Principum, quibus magna argenti vis in egenos distribuenda datur: quibus, si multa effundant, etiam multa vicissim conferuntur. Hæc tamen comparatio (vt verum fatear) nequaquam id quod volumus adæquat, nec vique quaque per omnia respondet: quia elemosynarius, si modo fidelis sit dispensator, prorsus nihil sibi reseruat, nec propterea quod aliis multa dat, inde ipse sic sic cupletior. Verum ij qui spiritualibus ministeriis proximo opitantur, dum quid aliis dant & locupletant, ipsi pariter ditantur, & substantiam suam adaugent. quocirca alii melius & adæquatius eos puerorum regionum nutricibus comparant, quibus de sua mensa Rex cibos & alimenta subministrat, quae deinde eo quod sibi superest ac redundat, teneros regulos enutrit. Pari modo, qui Regis caelestis filios educare & alere student, ipsi de mensa sua regali ac diuina escas & alimenta tam copiose & abunde suppeditant.

*L. 1. fro  
emat.  
Similia  
quatuor  
1. Puteus.  
2. Culter.  
3. Ignis.  
4. Scientia.*

*Concionatores.*

*Confessarij.*

*Moribus  
vacantes.*

*Opera pietatis  
exercites.*

*Et his similes inde*



tat: ut, cum ipsis plus quam satis sit, ac datis redundant, de hac abundantia ac copia in filios suos spirituales non pauca queant effundere.

Quam similitudinem D. Petrus Chrysologus verbis eleganter complectitur: *Vt enim infantis regis nutrices delicatis cibis pascuntur, et purissimum lactis fontem alumnis suis propinent: sic supremus ille Rex verbis suis ministros, licet immersos, propter filiorum suorum alimoniam, celestis sua mensa cibis pascit et nutrit, quo delicatius illos lactare et pascere delectant.*

Nostrum porro, præ aliis Religiosis, est semper hoc ipsum præ oculis habere: nam proximi curationem & opem Deus, velut efficacissimum quoddam ad in spiritu priuatim proficiendum, medium nobis est elargitus; quod hoc proprie nostrum sit institutum ac finis. Vti expresse id declarat Bulla Iulii Tertii, ubi cum instituti nostri finem, & erga proximum exercenda ministeria Pontifex Summus propdsuisset, subiungit, *Curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, qua via quadam est ad illum, quoad Sixerit, ante oculos habere.*

Quia sicut proprius nonnullarum Religionum monachalium profectus situs est in choro sedulo frequentando, in sua clausura bene seruanda, in statutorum, ieiuniorum, & asperitatum obseruantia: ita noster profectus & profectio in eo consistit, vt ministeria nostra ad proximo subueniendum instituta, legitime debitoque modo obeamus: quia ad hoc nos vocati sumus, sicut illi ad alia.

Vnde etiam ipsi non immerito de proximo dicere possumus, quod olim de Philippensibus Neophytis Apostolus, *Gaudium meum, et corona mea.* Et de Thesalonicensibus, *Vos enim estis gloria nostra et gaudium.* In quem locum sic commentatur Ambrosius, *Manifestum est, quod profectio discipulorum, gaudium et profectio magistri est & gloria.*

Nouerimus ergo oportet, omne nostrum meritum, profectum, & profectio-

nem in hac vna sitam esse. Adeo vt, quamuis solitudo & recollectio cellaris, nec non mirifice erga orationem affici, in Societate nostra permagni fiant: si quæ tamen oratio & solitudo ab ministeriis proximo debitis nos auocat, insignis quedam est in Societate dæmonis tentatio.

Si vel in sæculo ageremus, vel aliam Religionem, cui hoc propositum non esset, profiteremur, à bono spiritu profectum, & quedam profectio credi posset, diutius ac frequentius orationi insistere, ac solum nostri ipsorum curam gerere: at hic in Societate, bonus id spiritus non est, sed mera tentatio, & dæmonis in Angelum lucis sese transfigurantis, ac per propriæ salutis curandæ, atque presentis periculi deuitandi speciem, ab instituto te tuo ac sine auocare machinantis illusio.

Oratio Societatis, nostræ esse debet vocationi conformis, vt nimirum ab ea ad proximum adiuuandum paratior & promptior surgamus, & cum S. Iob dicamus, *Sidormiero, dicam, Quando consurgam, et rursum expectabo vespertam.* In oratione namque disponere & comparare nos debemus, ad instituti nostri ministeria melius & accuratius obeunda, atque eo futura melior oratio est, quo ad hæc magis dispositus ab ea surges; quanto etiam magis in amore Dei proficies, tanto in censu esse debet tuum Deo animas lucrificandi, vtque & alii pariter tecum eum ament, enitendi procurandique desiderium.

Religiosus quidam seruens, & zelosus Dei seruus, cum multos annos indefesso labore in Indorum cõuersione laborasset, & iam parum se in quiete & vacatione à labore recolligere vellet, quo maiori diligentia & accuratius ad bene moriendum se disponeret, in Hispaniam rediit, atque ibi se ab omni cum proximo conuersatione & commercio sequestrauit. Hic quoties orationi insistere, videre sibi videbatur Christum Iesum in cruce fixum, qui suauiter ac blanda quadam expostulatione ipsum reprehendens, diceret, *Cur*

*Quicquid à zelo animarum nos auocat, tentatio est.*

*Quacumque sine abstrahunt, bona non sunt.*

*Iob. 7. 4. Oratio et charitas animarum zelo subseruiat.*

*F. Alfonso de Roza, Ordinis S. Francisci.*

*Quietem propriam animarum lucro postponamus.*



Cur me in hac cruce reliquisti, tuamque iam quietem & consolationem sectaris? Quia voce admonitus, & visione Christi mire permotus, ad intermissam animarum culturam reuertit, in qua permultis deinceps annis nauum & infractum se operarium praestitit.

diet & proteget. *Domine ut scuto bona & lunas atque tua coronasti nos* Bona, inquam, voluntate Dei, qui ea nobis mandat, usque nos applicat, velut umbone & clypeo circumdamur ac protegemur.

Vnde praclare S. Basilius: *Nolito putare, inquit, ideo te castum. Et a carnalibus tentationibus immunem fore, quod te in solitudine recludas, et ab hominum consuetudine sequesres* Falleris: quia non est haec castitatis assequenda ratio. S. Hieronymus in solitudine interiori, procul ab hominibus agebat, olera & herbas comedeat, & mira asperitate corpus suum atterebat; de se ipse tamen queribundus scribit, saepe se putasse Romanis choreis & plausibus interesse, cumque frequentibus ora pallerent ieiunium, cum corpus rigidum & exhaustum vix spiritum traheret, cum caro exsuccida & prope emortua esset, voluntas nihilominus a malis concupiscentiis incendebatur, & ad illicitos appetitus impotenter rapiebatur. E contra Abbas Helias tam rarum a Deo castitatis donum, uti refert Palladius, erat consecutus, ut quadraginta annos trecentis mortalibus tanta animi pace & quiete praefuerit, quanta, si viris, nimirum sine vlla ad libidinem tentatione, motu, & castitatis periculo.

Tam integris vestibus, & saraballis illaesis, tres illi pueri in fornace Babylonica ambulabant, ut nullum illis flamma nocuum inferret, & capillus capitis eorum non adureretur: regios vero ministros, qui ab fornace procul distiti erant, sibi que, ne ab igne violarentur cauebant, flamma non ustulauit modo; sed & deuorauit. Potens est enim Deus, in medijs flammis illaesos & intactos seruare illos, qui ex eius amore in eandem se dedere.

Quin potius flammam ipsis fuere velut flores vernantes, & paradisi deliciarum, in quibus Deum laudabant & benedicebant. Ita contingit iis, qui ex eiusdem Dei amore, diuini que honoris & gloria zelo in medio fornacis Babiloniae mundi huius igne ambulant: quia ubi alij comburuntur & penitus consumuntur, hi Deum suum laudant,

## CAPVT VII.

*Aliquot suggeruntur remedia inuanda pusillanimitati non nullorum, qui quod suis ipsorum perditionem & damnationem timeant, proximos iuuare refugiunt.*

**V**T pusillanimitatis tentationem, quam timidus aliquot & scrupulosus demon vexare solet, persuadentes sibi suam se animam praesens in discrimen vocare, dum aliorum curare proponunt, radicitus e cordibus nostris euellamus; ante omnia veritatem quandam, in primis necessariam, maximique momenti, quaeque ad hoc ipsum in primis nos adiuuabit, nouerimus, nobisque persuadeamus oportet: nimirum quo loco nos Deus collocabit, eo securiores ac tutiores nos fore, quam quo nos ipsi fore putabamus. Dum enim, Superiore iniungente, in publicum & forum prodimus, dum foeda & spurca poenitentium in confessionibus scelera audimus, tutiores ac securiores erimus, quam si ex proprio nutu & decreto, in cubiculum nos abidentes, hisce nos ministeris, prolabendi periculum veriti, subduceremus. Quia forsitan in cubiculo a prauis & obscenis cogitationibus impugnaberis, & in aedifices; & in ministeris illis fieri potest ut securior sis & quietior: quia enim te in illis Deus constituit, hinc ipse etiam te custo-

*Veritas maxima. Tutior es in periculo cum Deo, quam tecum extra illud.*

*Deus quo te loco statuit, hoc et protegit.*